DIÖZESE
INNSBRUCK

Digitales Archiv

Bestätigung Urteilsspruch Pfarrstreit Baumkirchen-Mils

Pfarrarchiv Baumkirchen

28.04.1419

Digitales Archiv

Shelf Mark: 6.7304.A13

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)
Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

urn:nbn:at:at-dai-42375

Visual Library

Berchtoldus dei et apostolice Sedis gratia Electus et Confirmatus Brixinensis Universis et singulis presencium
inspectoribus cum subscriptorum noticia Salutem in domino sempiternam. Cum nuper lis seu controversia coram Vener-
abili et circumspecto viro domino Nicolao Grorath decano Brixinensi ac Vicario nostro in spiritualibus generali inter plebem
seu plebizanos in Pawmkirchen ex una et discretum virum Eberhardum plebanum ibidem, alias in Mils et plebizanos
ibidem in Mils nostre diocesis partes ex altera verteretur Dicteque partes volentes prout accepimus amplius per strepitum litium
fatigari insimul de omnibus litibus et controversiis peticionibus et questionibus que tunc vertebantur inter ipsas partes hincinde
unanimiter et concorditer in Venerabiles et circumspectos viros dominos Nicolaum prepositum Nicolaum decanum predictum
Johannem de Sengen Berchtoldum de Naudes Custodem Petrum de Lengpurg Johannem Lebenherr Scolasticum et
Eckhardum Cancellarium Canonicos Brixinenses tamquam arbitros arbitratores et amicabiles compositores compromisissent
ut ipsi omnia et singula per ipsos arbitranda componenda et pronuncianda in premissis inter ipsas partes se acceptaturos et inviolabiliter
impleturos promisissent Tandem Arbitri arbitratores et amicabiles compositores predicti Arbitrium arbitracionem seu amicabilem
composicionem per eos iuris cause et rei cognicionem arbitratas compositas et pronunciatas nobis exposuerunt in effectu videlicet
Quod in ecclesia sancti Lawrencij in Pawmkirchen Sacramenta ecclesiastica scilicet Eucharistie olei sancti baptisterium cum suis
complementaribus baptizacio puerorum confessionum audicio Sepultura ecclesiastica Cere paschalis consecracio Candelarum
palmarum salis et aque ac cinerum benediccio et generaliter omnia alia iura parrochialia per plebanum pro tempore inibi antiquitus consueta
observari debeant et celebrari. Fuitque nobis pro parte dictorum plebis seu plebizanorum in Pawmkirchen humiliter supplicatum
quatenus Arbitrium arbitracionem et amicabilem composicionem huiusmodi seu eandem pronunciacionem sicut premittitur factam auctoritate nostra ordinaria
approbare et confirmare dignaremur. Nos igitur attendentes quod iusta petentibus non est denegandus assensus arbitracionem
composicionem et pronunciacionem huiusmodi sicut premittitur factas ratas habentes et gratas auctoritate nostra approbavimus ratificavimus
et confirmavimus ac presencium tenore approbamus ratificamus et confirmamus et in suo robore perpetuis temporibus subsistere volumus
et inviolabiliter observari. Nolumus tamen quod plebanus predictus per hoc in suis iuribus parrochialibus gravamen aliquod seu
preiudicium paciatur. In cuius rei evidenciam presentes litteras nostri sigilli iussimus appensione communiri. Datum Brixine
in palacio nostro episcopali mensis Aprilis die antepenultima Anno domini Millesimo Quadringentesimo decimo.

6.7304.A13

perchtoldsdorff

№ 3.

1449 IV 28

6.7304.A13